

D. Rev/A

Romae, d. 12 Octobris 1965.

Eminentissime Domine,

Unica difficultas quam expertus sum circa textum "Relationis" pro expansione modorum schematis Constitutionis dogmaticae de divina Revelatione, invenitur in secunda phrasi num. 2 (pag. 3, linn. 6 - 10).

Difficultas non est circa sensum phraseos, praecipue si prae oculis habeatur phrasis sequens. Sed phrasis de qua supra ("Hisce ...est"), ansam praebet detortae interpretationis, quae probabiliter veniet. Differentia quam textus innuit inter Sacram Scripturam et Traditionem est qualitativa potius quam quantitativa; id est, in S. Scripturis Revelatio invenitur litteris commendata, dum in Traditione invenitur et verbis et actibus expressa. Verba autem "latius patere" suggerunt comparationem quantitativam, imprimis quidem quia his verbis maxime usi sunt Patres ad exprimendam differentiam quantitativam. Comparatio quae instituitur inter "notitiam" et "realitatem" hac ambiguitate laborat.

Phrasis ergo, meo iudicio, supprimenda est quia omnis emendatio periculum excitat novas ambiguitates inducendi. Si phrasis autem servanda iudicatur, tunc hoc fere modo redigi posset:

"Hisce revera affirmationibus agnoscitur Traditionem a S. Scriptura aliquo modo differre, eo nempe sensu quod divinæ revelationis non tantum cognitionem praebeat, sed ipsam eiusdem vividam experiantiam transmittat: quo fit ut...."

Placet ergo "Relatio", iuxta tamen hunc modum.-

Dum haec Eminentiae Tuæ qua par est reverentia communico, E.T. Revmae. add. num in Domino me profiteor,

Marcus H. McGrath, C.S.C.  
Episcopus S. Iacobi de Veraguas

---

Emmo. ac Revmo. Domino  
D.no HERMENEGILDO FLORIT,  
Cardinali Archiepiscopo Florentino  
Romae